

58.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PRAECIPVIS
MORTIS SVBITANAEAE
CAVSSIS

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
D. IV. DECEMBR. A. S. R. c1810ccl.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR RESPONSVRVS
LVDOVICVS ALBERTVS RAV,
VLMA-SVEVVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSECTATIO IN VAGRALIS MEDICA
DE
PRAECIPUIS
MORTIS SVBITANAE
CAVSSIS

CONSENSV GRATVATE FACVLTATIS MEDICAE
P. R. A. E. S. I. D. E.
VRO. ILLVSTRI. S. ILLVSTRATIONIS. ET. ALIENISSIMO
DOMINO.

D. ANDREA WILIA BUCHNERO

POTENTIA. ET. PRAECIPUIS. CAUSIS. CONSIDERANDIS
POTENTIA. ET. PRAECIPUIS. CAUSIS. CONSIDERANDIS
POTENTIA. ET. PRAECIPUIS. CAUSIS. CONSIDERANDIS

PRO GRADU DOCTORIS
DOCTORALIBVS. LEGITIME. IURETANDIS
D. IV. DOCTOR. A. S. K. C. I. S. I. C. C. L.

LYDOVICVS ALBERTVS RAV

HAEC. M. HODERKICHAEL
THE. IOHANNES. CHRISTIAN. HENDL. ACAD. TYPOGR.



S. R. I.
ILLVSTRIS ET LIBERAE REIPVBLICAE
VLMENSIS

PROCERIBVS SPLENDIDISSIMIS

VIRIS
PERILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS
MAXIME STRENVIS

MAGNIFICIS, PRAENOBILISSIMIS
AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS

DOMINIS

DVVM-VIRIS
CONSVLIBVS

SANCTIORIS CONSILII

ADSESSORIBVS

ATQVE CETERIS

SENATORII ORDINIS MEMBRIS

LONGE AMPLISSIMIS

PATRIAE PATRIBVS

IMMORTALIBVS MERITIS

MAXIME CONSPICVIS,

DOMINIS
MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS
PERQVAM GRATIOSIS SVMMEQVE COLENDIS
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
IN DEMISSAE VENERATIONIS GRATISSIMAEQVE
MENTIS TESSERAM

NEC NON
VLTERIOREM SVI COMMENDATIONEM

CVM VOTO
PERENNIS FELICITATIS
ET
INCONCVSSAE PROSPERITATIS
EA QVA DECET REVERENTIA

D. D. D.

TANTORVM TAMQVE
ILLVSTRIVM NOMINVM

SVBIECTISSIMVS CLIENS
LVDOVICVS ALBERTVS RAV.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PRAECIPVIS
MORTIS SVBITANAEAE
CAVSSIS.


PROCEMIVM.



Inter miseras, quibus genus humanum expositum deprehendimus, non minima ea est, quod non raro, absque violenta quadam externa causa, tota corporis machina motus omnes quam celerrime amittat, vinculum, cuius ope immortalis spiritus eidem nequitur, dissolvatur, & homo adeo vivere desinat. Et eo haec mortis species magis est terribilis, quo celerius nihil saepe tale cogitantes occupat, quoque minus resisti potest malo non praevisto. Non iam attingam Theologorum argumenta, qui gravissimis rationibus demonstrant, maximum animae a celeri ac subitanea morte imminere periculum, si nempe ad ultimum hocce iter suscipiendum minus fuerit parata. Maximum tantum

in republica inde oriens damnum considerabo, ut pateat, quam utile ac necessarium sit, si de causis, mortem talem subitanam inducentibus, sumus solliciti. Quis quaeso est, qui ignoret, regnorum ac rerum publicarum maximas ruinas, bella cruenta, caedes & gravissima quaevis mala, a regum ac principum virorum repentino obitu originem duxisse? quae in privatis familiis iurgia ac lites a similibus oriuntur factis, vel quotidie nobis observare licet, si ab ultima occupati hora res suas in ordinem non redigere, bona inter haereditas partiri, ac testamentum condere poterunt. Haec vero cum ita sint, quis non videt, quantum ipsi quoque reipublicae utilitatem is praestet, qui monstrat, quo potissimum modo mors talis subitanea averti ac praecaveri possit. Id vero quomodo praestari queat, absque cognitione causarum tale malum inducentium, ego quidem non perspicio. Medici ergo officium cum maxime eo vergat, ut de civium salute sollicitus sit, in ipsas quoque has causas eidem quam maxime erit inquirendum, ut illis cognitis, mala inde evenientia, quantum fieri potest, avertat. Non inutile igitur opus me suscepturum confido, si, pro specimine inaugurali, virium mearum faciam periculum in enarrandis praecipuis mortis subitaneae causis. Has itaque ad generales quasdam reducere conabor classes, ad quas singuli dein particulares casus facili poterunt revocari negotio. Ut vero labor hic noster rite succedat, divinum submissis precibus imploramus auxilium, Lectores simul rogantes, ut prima haec ingenii nostri conamina aequi bonique considerare velint.

§. I.



§. I.



Mortis subitaneae causas universaliter si consideramus, facile intelligimus, ad sequentes easdem referri posse classes: I. Inducitur subitanea mors a *violencia quadam externa*, partes ad vitam necessario pertinentes gravissime laedente, ictu, casu ab alto, igne, vel quovis modo inflictio vulnere, vel nobiliores solidas corporis partes destruente, vel nimiam excitante haemorrhagiam. Sic citissimam sequi mortem non ignoramus ab inflicto leviori etiam vulnuscule, si id nempe arteriarum laeserit, indeque sanguinis nimia profusa fuerit quantitas. II. *Ab externa*, non quidem violenta causa, sed vel *respirationem supprimente*, vel *nervos immediate graviter adficiente*. Pertinet huc vel *aëris defectus*, vel *aëris nimia compressio*, vel tandem eiusdem *depravatio*. Quod *aëris defectus* vel *nimia compressio*, mortem inducere valeat subitanam,

taneam, non a priori modo, sed & a posteriori, beneficio antliae pneumaticae, cognoscimus. Pereunt enim sub antliae campana animalia, si vel extrahatur nimium aëris, vel etiam nimis comprimatur aër. Hinc etiam in summis montium cacuminibus, ob aëris defectum, repentinam saepe mortem incautos viatores invenire, pluribus observationibus constat. Idem a calore quoque nimis aucto fieri posse, facile is perspiciet, qui non ignoraverit, rarefieri a calore externo aërem, vt, si nimius fuerit calor, ad respirationem aptus amplius non sit. Dein quoque huc referimus *depravationem aëris*, & eam potissimum, quae fit a vaporibus vel fermentescentium liquidorum, vt vini ac cerevisiae, vel a particulis sulphureo-vaporosis & acrioribus, quales a carbonibus accensis exhalant. Hi enim non aëris modo temperiem ac elasticitatem alterant, sed & ob subtilitatem in ipsos nervos agendo, eosdem vel stimulant, vel fluidum nerveum corrumpunt, eiusdem minuendo elasticitatem. Hinc vel nimium augentur motus, vel summopere imminuuntur, quod utrumque celerrimam inducere potest mortem.

§. II.

III. *Ab assumtis venenis cito operantibus, vel adhibitis incongruo modo medicamentis activioribus.* Scimus namque, venena quoad maximam partem vel in solidis spasmodum vehementissimum, aut omnino solutionem continui, producere, vel in fluidis nimiam resolutionem aut coagulationem concitare.

Haec

Haec omnia repentinam mortem inferre posse; nemo ignorabit, qui vel a limine Physiologiam salutavit. Pertinent huc quoque ea omnia, quae ore assumpta perniciosâ quidem non sunt, sed immediate tamen sanguini admixta ita eiusdem destruant crasin, ut vita subsistere amplius non possit. Scimus hoc fieri a morfu animalium venenatorum, vel rabidorum ac nimia ira aestuantium: porro ab acidis, a spirituosâ, ab ipso denique aëre. Constat enim, ex instituto per BOHNIVM experimento, aërem, in vivorum animalium venas infusum, celerrimam ipsis induxisse mortem, quod, recte monente LANCISIO *), non fit ob nescio quod inductum humoribus coagulum, sed ob interceptum sanguinis circulum. Dum enim mediante calore expanditur ad cor propulsus aër, sanguinis ingressum in cordis ventriculos impediendo, totum eiusdem circulum subito intercipit. Non minus quoque IV. *variae internae causae* vitae subitaneum inferre valent finem. Cum vero priores num I. II. & III. enarratae causae ita comparatae sint, ut a corporum extra nos positorum dependant actione, haec vero potissimum a priori determinari non possit, cum ut plurimum fortuito casui debeantur, vix operae pretium esse existimo iisdem explicandis diutius immorari, sed ad ultimam potius me convertam classem, & *causas internas*, mortem inducentes repentinam, enumerabo.

B

§. III.

*) Traçt. de subitaneis mortibus, Lib. I. Cap. VI. §. II.

§. III.

Mortem ergo subitanam, ab internis causis inductam, consideraturi, eodem, quo generatim de ea locuti sumus, modo, ad certas classes illas redigere & in ordinem disponere conabimur. Recensitos vero a Medicis varios talis mortis casus si considerabimus, ad sequentes eas reduci posse classes, non difficulter intelligemus. Primo enim adesse potest *praeternaturalis* quaedam, in *structura partium corporis solidarum, constitutio*, qua fit, ut repentina mors arcessatur. II. *Vitium* quoddam adesse potest *fluidorum*. III. Adesse possunt *immateriales causae*, ex solo mechanismo & materiae actione non explicabiles. IV. Denique *morbis praegressus* anam celeriori ex hac vita discessui praebere potest. Ad has classes longe facilius omnes reduci posse casus existimamus, quam si cum LANCISIO l.c. vitium tantum accusemus solidorum, vel fluidorum, uti ex uberiori earundem expositione, quam statim suppediabitur, patebit.

§. IV.

Primo itaque consideranda nobis est *structura partium corporis solidarum praeternaturalis*. Efficat haec, ut levis saepe causa externa, alias damnum plane nullum effectura, lethalis evadat, citamque mortem inferat. Memoratu dignus extat huius rei casus in *Ephemerid. Acad. Reg. Scient. Paris.* ann. 1705. quae historia, cum rarissimum nobis sitat exemplum, ut hic quoque exponatur digna est. Ad mortem nempe condemnatus quidam *capivus*,

privus, capite inclinato carceris petiit murum, & statim mortuus in terram concidit. Externe nulla contusionis, vulneris, vel fracturae apparere signa. Dissectum a LITTRIO caput, nullam vel levissimam ostendit laesionem, nullum tumorem, nullum sanguinem effusum. Sana contra visa sunt omnia, nihilque adparuit memoratu valde dignum, nisi quod cerebrum non videretur totum cranium exacte implere; exemptum quoque illud cranio, facile in osseam potuit capitis cavitationem reponi, quod alias non nisi difficulter perficitur. Concludendum igitur exinde erit, pro cranii ambitu & cavitate in hoc homine nimis parvam fuisse cerebri quantitatem, & mortem hanc ipsius subitanam singulari potissimum tali expositae constitutioni cerebri esse adscribendam. Dum enim cerebrum non exacte implevit cranii cavitationem, fieri utique potuit, ut, in tanta illius mollitie, a leviori quadam percussione principium nervorum e sede sua dimoveretur. Hoc ipso vero vel minima sui parte e sede sua propulso, omnes simul ac semel motus in toto corpore vel ideo interire debuerunt, quia ingressus liquidi nervei in omnes nervos statim sic fuit interceptus.

§. V.

Non possum, quin & alium casum adducam, ab Illustri HEISTERO expositum in Dissertatione 1730. Helmstadii ventilata, quae *Observationes medicas miscellaneas theoretico-practicas* exhibet. Juvenis erat rusticus, cui, dum commessatur cum sui aequalibus, petulantes focii cineres & folia tabaci, cere-

cerevisiae iniecta, inter pocula exhibuerunt, laeti, quod id non animadverteret. Hic vero iuvenis paulo post quasi somnolentus ac ebrius in terram procidit, animamque tandem efflavit. Sectio ab Illustri HEISTERO instituta docuit, nullam adfuisse in ventriculo neque inflammationem, neque arrosionem, de quibus alias, ob assumpta simul folia tabaci, qualiscunque oriri potuisset suspicio. Neque etiam in cerebro, neque in alia quadam corporis parte, tllum adparuit vitium, quod repentinam inducere valuisset mortem; tandem ipsum cor praeternaturale monstravit vitium, quod cum pericardio arctissime ac ita coalitum erat, ut ne gutta quidem ibi deprehenderetur liquoris, saccum istum alias implentis. Patet ergo inde, quod in hoc subiecto, ob singulare istud vitium, fibrae cordis, quae irrigari alias ab ipso liquore pericardii solent, magis fuerint rigidae, hacque ratione dein facillime earundem contractio impediri potuerit. Cum vero a cordis systole sanguinis dependeat circulatio, & in hac, ex mente Illustr. b. m. HOFFMANNI *), ipsa vita consistat, mirum inde haud est, quod suppresso hocce motu vita etiam fuerit sublata.

§. VI.

Aliud tale vitium circa ipsum cor exponitur a LANCISIO *l. c. Lib. II. p. 120.* ubi ad ostium arteriae aortae in singulis valvulis semilunaribus aderant corpuscula quaedam duriora, valvulis firmiter

*) Med. ration. system. Tom. I. Lib. I. Sect. I. Cap. 2.

ter adhaerentia, quae repentinam quoque mortem induxerant. Haec vero corpuscula non erant polyphi, ex sanguinis quodam vitio nati, sed ex ipsis videbantur fibrillis valvularum continuatis enata. Infiniti tales dari possunt casus, prout in structura vel cordis, vel cerebri, vitium quoddam occurrit. Et quamvis inde repentinae mortis cognoscamus causam, tamen, si verum fateri licet, parum inde Medicus capere potest, vel ad avertendum, vel ad cognoscendum in aliis tale malum, emolumentum. Quis enim quaeso absque sectione anatomica, in vivente adhuc homine determinare audebit, eum hoc vel illo praeternaturali laborare partis cuiusdam solidae internae vitio? Et si quis tali quoque gauderet felicitate in divinando, ut a priori malum cognosceret, nihil tamen ad illud ipsum tollendum poterit conferre, cum structura solidae partis internae alterari per medicamenta nequeat. Primae itaque huic causae diutius idcirco non immorabimur.

§. VII.

Ad alteram hinc accedimus §. III. generali modo expositam causam, *vitium nempe fluidorum*. Duplex vero in corpore humano datur fluidum, quod ad vitam necessario requiritur, *fluidum nempe nervaeum ac sanguis*; quare utriusque huius vitia nobis nunc erunt consideranda.

§. VIII.

Fluidi nervaei vitia fuscè quidem a nobis exponi nequeunt, cum fatendum omnino sit, parum nobis

nobis de fluidi huius nobilissimi natura cognitum esse. Cum enim subtilitate sua singulorum sensuum aciem plane effugiat, mirum sane non est, quod in detegenda eius natura parum adhuc profecerint Physici ac Medici. Hoc tamen quam maxime probabile est, elasticum esse hoc fluidum, motumque elasticitate eius impressum citissime ad alias partes continuari & propagari. Haec itaque elasticitas fluidi nervei si imminuatur ac depraveretur, motus quoque ab eodem dependentes deficient atque cessabunt. Constat autem ex principiis physiologicis, quod motus musculorum potissimum dependant ab influxu tam sanguinis arteriosi, quam liquidi nervei in musculorum fibras; cor itaque cum musculus sit, moveri non poterit, intercepto vel impedito huius quoque liquidi in fibras eius influxu. Quemadmodum autem liquidi nervei influxus ex variis impediri potest causis; ita nobis hic ad eam tantum respiciendum est, quae ab imminuta eius dependet elasticitate. Motus enim celerissima in fluido nerveo continuatio cum ab eius elasticitate proveniat; hac amissa mirum non est, si non tam cito illa perficiatur. Minus vero in cor instuere hocce liquidum, si celeritas eiusdem imminuatur, facile patet. Musculi porro, qui ad respirationem necessario requiruntur, intercostales potissimum, ob eandem causam aegre munus suum praestabunt. Respirationem ergo inde imminui quid miramur? Cordis vero motu cessante ac respiratione suppressa, sanguinis circulum, una cum ipsa vita,

vita, interire debere, is facile perspiciet, qui non ignoraverit, duos hos motus potissimum esse vitales.

§. IX.

Vnde vero suam amittere possit elasticitatem liquidum nerveum, iam disquirendum erit. Ab *externis causis* id perficitur, si sulphureum tale principium, quale in oleis foetidis est, ad eas partes admittatur nimia in copia, ubi minus tecti sunt nervi. Tunc enim ob subtilitatem penetrando in intersticia ac poros nervorum, immediate agunt in liquidum nerveum. Sed & *interna causa*, ut mihi quidem videtur, adesse potest, si nempe sanguis, nimia in copia ad caput delatus, vasa cerebri ita distendat, ut crassiores partes in minimos canaliculos transeant. Fiet enim inde, ut, loco subtilis illius fluidi, crassiores simul partes secernantur, quae, interponendo se reliquis particulis, motum earundem impediunt.

§. X.

Sanguis peccare potest vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *motu*. *Quantitatem* si consideremus, ea est vel *nimis imminuta*, vel *nimis aucta*. Prior subitaneae mortis causa fieri potest, si vel *spontanea*, vel *artificialis haemorrhagia* fuerit excitata, vel *inflatum* catu quodam *vulnus*. *Spontanea* hic nobis tantum consideranda est, utpote de internis causis agentibus. Haec vero cum raro succedat, nisi in plethoricis, quibus sanguis vel ab interna, vel ab externa causa commotus est: patet, raro unam accufari

cusari tantum causam posse, sed plures plerumque esse inter se complicatas, ita, ut ex nimia quantitate sanguinis, in vehementem orgasmicum motum concitata, lethalis haemorrhagia sequatur, nimiam eius inferens imminutionem. Fateor tamen, in iis quoque, qui non nimis sunt plethorici, idem accidere posse a spasms, sanguinem ad peculiarem quandam locum propellentibus, unde eiusdem ibi sequitur accumulatio, vasorum distensio, ac plenaria tandem disruptio. Sic haemorrhagia lethalis saepe in quartana occurrit rebeli, ubi, ob infarctum viscerum eorundemque obstructionem, ac spasmos in abdomine vigentes, sanguis, per inferiores partes progredi nescius, superiora petit, ibique viam sibi aperiendo, tali cum impetu effunditur, ut repentina mors eandem subsequatur. Refertur tale exemplum ab Illustr. b. m. HOFFMANNO *), de viro cachectico in icterum incidente, qui, cum haemorrhagiarum corripere, eaque nullis compesci posset remediis, animam tandem una cum sanguine amisit. Ob spasmos vero in abdomine vigentes, non in superioribus modo, sed & in inferioribus, haemorrhagias excitari posse, vel nuper demum edoctus sum exemplo puellae, a vehementiori commotione iracunda nimis largum mensium fluxum experta, quae cum de gravissimis in abdomine doloribus conquereretur, & haemorrhagia per plures dies ita insisteret, ut vix movere se amplius ob debilitationem posset, solo usu pulveris cuiusdam anti-
spas-

*) loc. cit. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. I.

spasmodici, ex lumbricis terrestribus, pauxillo nitri, lap. cancor. Cinnabari ac Extr. Castor. fuit inde liberata, quod plane non est mirandum: si enim spasmus venosa vasa plus constringat, quam arteriosa, sanguinis ex utero regressus impediatur, indeque eius ibi accumulatio, cum subsequente haemorrhagia, oriri potest.

§. XI.

Mirum equidem videri alicui posset, ex haemorrhagia, ac inde pendente sanguinis imminutione, demortua saepe esse subiecta, in quibus tamen non omnis sanguis effusus fuit, sed sat magna eius quantitas in vasis adhuc remansit. Necessse autem hic erit, ut ex physiologicis ad ipsam saltem attendamus motus cordis causam. Hanc enim scimus immediate dependere ab influxu liquidi nervei in fibras cordis. Liquidum vero nerveum secernitur a sanguine arterioso, unde huius quantitate imminuta, praedicti quoque liquidi imminuetur secretio; hinc & eius in cor influxus, & ipse tandem cordis motus debilius succedent. Motu vero cordis debilitato, sanguis debito cum vigore nequam in minimos cerebri propellitur canaliculos; hinc denuo accedet causa, qua fluidi nervei in cerebro imminuitur secretio, sicque semper magis magisque motus cordis deficit, donec plane cesset, quamvis non tota massa sanguinis fuerit effusa.

§. XII.

Nimis aucta sanguinis quantitas, h. e. *plethora*, si per se consideratur, neque morbus est, neque
C mortis

mortis repentinae causa, nisi motus quidam accesserit vel universalis auctior, vel saltim versus partem quandam congestorius. Valde nempe periculosum statum constituit plethora, si procatartica quaedam accesserit causa, vel morbum quandam, vel ipsam inferens mortem. Procatarticae autem tales causae sunt, praeter animi adfectus, motum voluntarium nimis auctum & orgasmum ab assumptis calidioribus, spirituosis, aromaticis, aliisque infra a nobis explicandis, aëris quoque atmosphaerici vel *calor nimius*, vel *nimum frigus*. A calore scimus sanguinem resolvi & fluidiorem reddi, siquidem dum ignis elementaris, cuius motui calor debetur, sanguinem penetrat eiusque interstitia replet, particularum cohaesionem tunc ex parte tollit, eandemque minorem reddit. Ita vero resolutus sanguis, cum ob maiorem massam maiori quoque gaudeat vi (per princ. physic.), ob maiorem vero resolutionem ad ingressum in minima vasa aptior ille sit, magna utique vi idcirco irruet in minora vascula. Haec vero cum ob tenuiorem laterum texturam minori gaudeant vi, adeoque minus resistent irruenti sanguini, facile ab eodem distendi vel plane dirumpi poterunt. Facillime autem talis vasorum disruptio in capite contingere potest, cum per carotides valde magna copia, & fere tertiorius M. S. pars ad illud feratur (per princip. Anatom.). Talia itaque subiecta prae aliis ad apoplexiam inclinant sanguineam, vel, ut ab aliis appellatur, cerebri haemorrhagiam, mortem citissimam commu-

communiter inferentem. Dum enim vasculum sanguiferum, in cerebro ruptum, effundit sanguinem, premuntur ab extravasato sanguine nervorum principia, influxus tenuissimi liquidi in eosdem impeditur, hinc & motus cessant musculorum omnium, cordis ac arteriarum systole atque diastole, una cum respiratione, perit, h. e. motus desinunt vitales, & mors ipsa tandem inevitabili succedit necessitate. Similis quoque nervorum prope originem suam pressio contingere potest a nimia vasorum expansione, absque subsequente actuali disruptione, hoc tantum cum discrimine, quod, si actualis nondum contigerit disruptio, spes semper qualiscunque superfit, eripi posse ab orci faucibus aegrum. Sanguine nempe per venaesectionem, frictiones cum pannis calidis & pediluvia tepida, e superioribus partibus revocato, oppletio vasorum tollitur, & motus machinae restitui possunt, si modo sanguis nondum in stasin iam abierit.

§. XIII.

Eodem vero etiam modo resoluta plethora haemorrhagiam excitare potest lethalem, & sic citissimam inferre mortem, si nempe pars quaedam iam fuerit debilitata, ut decubitus ibi facilius fiat sanguinis. Sic si a diuturniori tussi, vel alia de causa, pulmones debilitatos habuerit plethoricus, & ab externa tali causa sanguis magis resolvatur, facile in haemoptysin graviolem & maxime simul fonticam incidere potest. Idem de ventriculo, de utero, aliisque laxioribus partibus, haemorrhagiis magis

expositis, valere, quilibet, vel me non monente, perspiciet.

§. XIV.

Frigus, licet contrario agat modo, eadem tamen producere potest symptomata, repentinam mortem inferentia, si plethoricus adsit status. Illud enim si ad externum corporis habitum liberalius admittitur, vasculorum in superficie fit constrictionio maior, & sanguis magis introrsum pellitur. Hic vero si iam nimia copia peccat, facile inde contingere potest, ut vasa distendendo vel in cerebro perrumpat, & apoplexiam inferat sanguineam, vel alia in parte viam sibi aperiendo lethalem excitet haemorrhagiam.

§. XV.

Qualitas sanguinis ita depravari potest, ut vel nimia eiusdem adsit fluiditas, vel spissitudo, vel acrimonia. Ultima haec raro subitaneam inferre solet mortem, cum nunquam adeo insignis esse soleat, ut solidas partes cito corrodat. Priores itaque magis a nobis iam erunt considerandae. *Nimia fluiditas* vel iam adest in sanguine, vel eidem cito a vehementer agente quadam causa inducitur. Calorem, in quantum sanguinem resolvit & fluidiorem reddit, adeoque in plethoricis repentinam inducere potest mortem, iam consideravimus §. XII. Idem vero fieri posse a motu musculorum voluntario praeternaturaliter aucto, quilibet intelliget, qui non ignoraverit, musculos vasis sanguiferis esse intertextos, ut contracto musculo sanguis premarur & frictio-

frictione aucta resolvatur. Memorabile exemplum adfert BOERHAAVIUS hominis cuiusdam, a celeriori cursu, ob sanguinem a motu voluntario nimis resolutum, repentina morte extincti. Neque desunt tristia admodum exempla eorum, qui nimis diu protracta saltatione subitaneam sibi accelerarunt mortem; cuius sane principalis causa in nimis aucto musculorum motu voluntario quaerenda esse videtur. Si vero nimia fluiditas iam praesto est in sanguine, tunc a leviori quoque causa externa repentina mors inferri potest. Sic notum mihi est exemplum mercatoris cuiusdam Batavi, sexagenario maioris, sed robustae simul ac firmae corporis constitutionis, animi hilarioris, ac temperamenti sanguineo-cholerici. Huic certo quispiam persuaserat, senes omnes ad sanguinis inclinare spissitudinem, adeoque nihil magis ipsis esse salutare, quam si fluiditatem sanguinis omni studio conservare conarentur; hoc autem rectius haud perfici posse, quam copiosa aquae fontanae adsumptione. Ut ergo is imminens sibi a spissitudine sanguinis, ut putabat, periculum averteret, praeter vinum, cuius potui adfuetus erat, ob vitam per plures annos in Gallia transactam, nihil adsumsit, quam foliorum herbae Theae infusum frigidum, idque tanta in copia, ut quotidie sex fere mensuras exhauriret. Dissuasere Medici tam copiosam aquae assumptionem, hortatique sunt, ut desisteret ab incepto; sed surdo fabula narrabatur, neque enim is persuaderi sibi passus est, ullam sibi noxam a tam innocente porulento

lento imminere. Verum vix ultra annum & quod excedit in hac perseveraverat consuetudine, cum a prandio surgens derepente in terram prostratus, subitanea morte periret. Causa huius repentini funesti eventus probabiliter in eo consistit, quod sanguis, qui ob nimiam aquae copiam assumptam nimis fluidus, & ad ingressum in minima cerebri vasa aptior redditus erat, quique simul a prandio semper maiori in copia versus caput fertur, ob aortae truncum descendente ab expanso nimis ventriculo paulo magis compressum, necessario hinc postmodum maiori in copia in ascendente truncum ruere & ad caput ferri debuerit. A maiori vero accumulatione fluidioris sanguinis in capite, facile eiusdem impetuosior ingressus in minima vasa, aliunde iam ob nimiam satisque diuturnam assumptorum aqueorum copiam admodum relaxata, debilitata & a tono suo deiecta, contingere, horum disruptio tandem induci, sicque sanguinea apoplexia lethalis excitari potuit (§. XII. & XIII.).

§. XVI.

Spissitudo sanguinis vario modo repentinam inferre potest mortem. Cum enim spissus sanguis per teneriora vasa difficulter admodum progreditur, facile patet, eundem inprimis difficillime per eas corporis partes progredi, quae minus elasticae ac molliores sunt. Hinc I) sanguinis motu quacunque de causa versus caput aucto, vel eiusdem, per venas iugulares, regressu impedito, & facta inde accumu-

cumulatione, facile vel distensio, vel disruptio vasorum, cum subitanea subsequente morte, induci potest. Regressum vero sanguinis ex capite, per venas iugulares, impeditum, repentinam inferre valere mortem, experientia in iis docuit, qui, ob melancholiam, vel diuturniorem moerorem, vitae peritae, suspendio eam finire intentant. In talibus enim subiectis circumdatus collo funis saepius vix leve inibi vestigium impressit, ut impossibile adeo videatur, eos tanquam suffocatos, ob tracheam contractam & impeditum aëris in pulmones ingressum, interiisse; sed compressae potius iugulares venae spissi sanguinis in capite restagnationem effecerunt, cum subsequente tandem apoplexia.

§. XVII.

II.) Per anatomicam constat experientiam, infinitum esse numerum vasorum minimorum sanguiferorum, ipsam vero pulmonum substantiam admodum mollem esse, insimulque, ob refrigerium ab inspirato frigido aëre, sanguinem in hoc viscere ordinarie in minus spatium cogi. Si itaque fluidum hoc admodum fuerit spissum, ac globuli rubri maiori vi inter se cohaereant, quam sub naturali statu, haec vero cohaesio a refrigeratione augeatur, mirum sane non est, si in teneriora haec vascula minus rite ingrediatur. Ad facilitandum autem regressum sanguinis ex viscere quodam, requiritur, ut ex arteriolis minimis per anastomosin transeat in venulas. Ingressu autem in minimas arteriolas impedito, nec in venas fieri poterit transitus, nec regressus.

gressus. Stagnante sic & accumulato in pulmonibus sanguine, duplex sequi potest effectus, citam inferens mortem: Vel enim rumpitur arteria, ac haemorrhagia oritur lethalis, vel sanguis spissus in dextro cordis ventriculo, dum aegre viam in pulmones, stagnante hoc humore plenos, affectat, cor ultra modum distendit, ut post nimis auctam diastolen, ob inductam inde debilitatem, systole sequi non possit. Cordis vero motu cessante sanguinis definit circulus, cum omnibus inde pendentibus vitalibus ac naturalibus actionibus, hoc est ipsa citissime inducitur mors. Talia igitur subiecta, cum respiratio in ipsis supprimatur, asthma interire videntur.

§. XVIII.

III.) Nihil frequentius evenit iis, qui nimia sanguinis laborant spissitudine quam quod concretescens paullatim sanguis *polypum* efformet, qui dein, maius aliquod vas claudendo, citam inferre potest mortem. *Polypus* talis constat ex carnis fibris, inter se convolutis, ex ipso sanguine rubro generatis. Sanguis enim, ut experimento *AVYSCHII* constat, solo motu in fibras coit, membranam quandam demum efformantes. Dum enim suillum sanguinem bacillo diu agitabat magnus hic vir, membrana formabatur, non aliam ob causam, quam ob maiorem globulorum sanguinis cohaesionem. Tale quid vero intra corpus, dum adhuc vivit, accidere, eo minus mirum est, quo certius constat, morum continuo adesse progressivum, qui idem praestat, quod

quod agitatio cum bacillo, in adducto experimento. Generatur autem talis polypus vel in ipso corde, vel in vase quodam maiore, quibus dein ope fibrarum, ex substantia sua prodeuntium, adhaeret. Ipsa polypi substantia vero alba plerumque esse solet, quamvis ex rubro sanguine generetur, quod sane nemini mirum videri debet, nisi ei, qui in Physica hospes plane est peregrinus. Scimus enim, colores non corporibus inesse, sed a luce alba demum oriri, si pro crassitie particularum corporis hi vel illi radii colorati reflectantur. Corpus itaque, quod rubrum antea fuit, album fieri potest, particularum immixta crassitie. Confirmatur hoc *Leewenboeckianis* a magno **BOERHAAVIO** *) saepe repetitis *experimentis*, quibus constat, sanguinem, per microscopium consideratum, antea valde rubentem, cito colorem huncce amittere, resolutis in serosos rubris globulis. Et hoc probe sane notandum est, ne, quod a multis iam iam factum est Medicis, sanguinem tantum congrumatum, post mortem in corde inventum, pro polypis habeamus. Sic **BARTHO-LINI**, **BONETI**, **FRACASTORII**, **PANAROLI**, aliorumque celeberrimorum Medicorum observationes testantur, se in iis, qui subitanea interiire morte, post institutam anatomicam sectionem, coagulatum & congrumatum sanguinem in corde & maioribus vasis invenisse, quem tamen pro vero habere non possumus polypo, cum a solo infarctu

D

&

*) Vid. Eiusdem praelectiones Acad. a Perillustr. de **HALLER** editae, Tom. II. p. 320.

& oppletione cordis a spiffiori sanguine (§. anteced.), ob pressionem a cordis vi systaltica ortam, cohaesio globulorum maior fieri potuerit, ex qua tale tandem concrementum facile originem ducit.

§. XIX.

Polyporum sedes potissimum est in dextro cordis ventriculo, ac vena cava. Rarius in arteriis deprehenduntur, quamvis & in his, sub determinatis quibusdam casibus, produci illos posse negandum omnino non sit. In dextro cordis ventriculo eam ob causam facilius polypos generari posse inde mihi maxime probabile videtur, quoniam tardior saepe, sub spiffiori potissimum sanguinis constitutione, eiusdem est per pulmones progressus, ut magis accumulari in illo ventriculo sanguis possit, ac facilius ideo unam in massam coire. Deinde illud quoque non parum polyporum adiuvat genesin, quod chylus, per ductum thoracicum ad venam subclaviam & cavae superiorem truncum delatus, exinde in dextram cordis auriculam, citoque in ventriculum dextrum transeat. Chylus vero, dum sanguini admiscetur, crudior adhuc est, iugi sanguinis motu tandem magis resolvendus, ac naturae sanguinis magis homogeneus reddendus. Crudiores itaque eius particulae magis inter se cohaerere ac rudimenta polypi augere poterunt, recte animadvertente Illustri b. m. HOFFMANNO *). Quod autem in venis facilius oriantur polypi, quam in arteriis, eodem laudato HOFFMANNO *l. cit.* animadverten-

*) Medic. ration. system. Tom. IV. Part. IV. Cap. X.

vertente, tardiori in his vasis progressui sanguinis debetur.

§. XX.

Non omnis vero in venosis vasis natus polypus citam inferre valet mortem, sed chronicorum saepe morborum causa evadit tale concrementum, hydropis inprimis pectoris, & in foemellis variorum hysteri corum pathematum. Si enim polypus in vena quadam generatur, quae cum corde non immediate est connexa, tunc nequaquam sanguinis circulum tollere, sed in eo tantum viscere, ubi haeret, impedire potest, adeoque eos producere morbos, qui ab impedito per tale viscus sanguinis motu oriri alias solent. Mors vero repentina a polypotum demum infertur, si in maiori aliquo vase sanguifero, cum corde immediate connexo, generatus, ob commotionem sanguinis quacunque de causa ortam, fibris, quibus vel cordi, vel lateribus ipsius vasis adhaeret, disruptis, totum vas obturat, vel orificium ipsius cordis claudit, ut circulus sanguinis inde simul & semel subsistat, quo facto vita statim perit.

§. XXI.

Ad tertiam iam progredimur, *immaterialem* scilicet, causam, qua cita mors inferri potest. Et primum sane hic locum tenent *animi adfectus*, quorum vehementia non ipse tantum animus turbatur & inquietus redditur, sed & irregulares motus in universo corpore excitantur, eoque ipso & morbi varii gravissimi, & ipsa quandoque mors repentina,

producuntur. Anima nempe ita cum corpore nostro coniuncta est, ut in ea ortae ideae in corpore quoque varios producant motus, vel solidarum, vel fluidarum partium, atque vice versa commotiones in corpore obortae varios in anima excitent ideas. Repente ergo in anima se excipientibus ideis, subitanei quoque in corpore suscitantur motus. Iam autem animi adfectus ita comparatos esse novimus, ut vel celeriter admodum, vel perquam tarde ideae se invicem sub iisdem excipiant; hinc duplex mutatio ab animi adfectibus oriri in corpore potest, motus nempe fluidorum aequae ac solidorum vel nimium augmentum, vel retardatio. Imminutio motuum prima chronicorum morborum ponere solet fundamenta: hinc statim patet, subitanam mortem ab eadem non facile oriri, neque haec adeo nostram meretur attentionem. Auctior contra motus a nobis est considerandus, & ex hoc quomodo subitanea oriatur mors, demonstrandum. Auctiores autem produci in corpore nostro motus, experientia docet, per *iram, terrorem, gaudium, timorem*; retardari e contrario eosdem per *moerorem* atque *tristitiam*, itidem constat. Hinc priores saltem iam considerabimus affectus. Negari equidem non potest, per alias quoque animi commotiones, *amorem* puta *spem*, &c. motus augeri; sed cum nullum mihi exemplum notum sit, quod inde unquam inducta fuerit subitanea mors, ideo ad nostrum scopum hic non pertinere videntur, & consulto hinc eos in hac tractatione sicco, ut aiunt, pede praeterimus.

§. XXII.

§. XXII.

Quod igitur *iram* attinet, scimus, quod sub eadem cor vehementius se contrahat, sanguinis motus augeatur, atque ab internis partibus versus externas humor hic propellatur. Hinc facies rubet, totumque corpus incalescit. Ponamus ergo iam, sanguinis adesse nimiam quantitatem, tunc ob eiusdem commotionem facile lethales subsequi poterunt haemorrhagiae (§. X.). Idem vero fieri potest, si nimis fluidus fuerit sanguis (§. XV.). Ab utraque vero causa apoplexia quoque oriri potest sanguinea, ac cerebri ab effuso sanguine inundatio. Si autem spissitudo sanguinis adsit (§. XVI.), tunc vario modo mortem subitanam induci posse patet. Vel enim polypus iam adest, vel non. Si concrementum tale vel in corde adsit, vel in alio quodam maiori vase, tunc accelerato systaltico cordis motu, & sanguine magna vi ex eodem propulso, facile fibrae, quibus polypus cordi vel vasorum lateribus annectitur, rumpuntur, ipsumque concrementum polyposum vel in vas maius, in quo haeret, profundius intruditur, vel cordis aliquod orificium obstruit, atque sic omnes in toto corpore motus sufflamantur (§. XX.). Si vero polypus non adsit, spissus tamen sanguis vel in minimis pulmonum aut cerebri tubulis magna vi impactus fuerit, tunc eosdem percurrere potest, & sic vel haemorrhagiam cerebri, vel apoplexiam inferre (§. XVI. XVII.). Cum vero sub ipsa ira spasmi magis in interioribus vigeant, quod motus versus peripheriam directi

fatis superque indicant, hi vero spasmi, pro varia vasorum in cerebro directione & partium corporis constitutione, modo in hac, modo in illa parte graviores ac vehementiores possint esse, facile hinc intelligitur, quod, si cor atque pulmones impetuosius iisdem adficiantur, mors induci possit subitanea. Spasmus enim in nimia ac praeternaturali consistit fibrarum contractione. Si itaque cor vehementius constringitur, ut diastole dein sequi non possit, tunc neque sanguis e vena cava in cor intrare poterit, adeoque circulatio sanguinis statim plenarie cessat, & sic contrario modo hi moriuntur, quam qui polypo intereunt, in quibus nimia est diastole. Si vero in muscularibus pulmonum fibris idem contingat, non modo respiratio, sed & transitus purpurei lateris per pulmones intercipitur, & hi adeo eodem pereunt modo, quam qui asthma convulsivo, vel catarrho suffocativo moriuntur. Unam vero vel plures harum causarum saepe adesse, experientia satis superque demonstrat. Refertur idcirco huc meretur exemplum civis cuiusdam, qui, cum militum praefectus aliquis eundem variis iniuriis & contumeliis gravissime adficeret, isque se defendere haud valeret, defubito apoplecticus ad terram cecidit, & vix elapso horae quadrante exspiravit.

§. XXIII.

Terror in eo quidem cum ira convenit, quod fibras constringendo, & spasmum inducendo agit, sed ab ea tamen differt, quod contrarios motus excitet, a peripheria corporis versus interiora vergentes.

gentes. Demonstrant hoc pallidus color, tremor & frigus extremarum partium. Sub hoc itaque animi adfectu diametri vasorum sanguiferorum in superficie corporis angustantur, & sanguis versus interiora & capaciora vasa propellitur; si ergo plethora simul adest, & regurgitatio illa sanguinis in primis versus nobiliores partes contingit, ut vel cerebrum, vel cor, vel pulmones inde oppleantur, tunc vel cessabit cordis motus, vel respiratio plenarie impedietur, cum subsequente totius machinae interitu, id quod ex §§. XII. XIII. & XIV. inter se collatis facile intelligerur. Polypus si adfit, introrsum vergentibus motibus is facile avelli ab ipso corde vel lateribus vasorum poterit, cum vitae iactura (§. XVIII.). Quod idem hoc quoque a sola spissitudine sanguinis fieri possit, ex §§. XVI. & XVII. intelligitur. Exempla eorum, qui ex terrore subito interiere, hic adducere supervacaneum existimamus, quum HILDANVS, SCHENCKIVS, FORESTVS aliique plura eorum iam iam exposuerint.

§. XXIV.

Gaudium equidem videtur conducere magis corpori, quam nocere, cum hilaris inde reddatur mens, perspiratio augeatur, & motus egregie promoveantur. Sed ut ut temperatum gaudium in corporis emolumentum cedat, illud ipsum tamen, si nimium fuerit, aut ex improvviso statim oriatur, subito omnes in corpore motus poterit sufflamina-re. Duo hic adducam exempla, id ipsum ira probantia, ut dubitari de eo non possit, alterum nempe foemi-

IVXX 2

foeminae, ad quam magni LEIBNITZII opes, post eius obitum, haereditate pervenerunt, quae prae gaudio, ob acquisitam praeter spem sat magnam auri summam, mortua concidit ad terram; alterum vero ludimagistri in Anglia, prope Londinum, qui cum in animum sibi induxisset, summe se felicem futurum, si reginae ANNAE manus exosculari posset, eaque de causa Londinum petiisset, ac, dum e cubiculo prodiens regina manus osculandas praerberet, sic voti sui compos fuisset redditus, de repente, dum os manui admovit, mortuus fuit. Causa vero cur a nimio quoque gaudio repentina oriri possit mors, nulla videtur alia esse accusanda, quam nimis acceleratus & rapidus liquidi nervei, vel spirituum sic dictorum animalium, motus. Dum enim liquidum hocce maiori celeritate influit in fibras cordis, vehemens inde oriri potest spasmus, qui, ob circulum sanguinis inde interceptum, lethalem dein sortitur eventum.

§. XXV.

Quod ad *timorem* denique attinet, cum is coniunctus semper sit cum cordis palpitatione & spasmo in huius partis superficie, mors sane induci poterit subitanea, si quaedam adsint caussarum supra enarratarum, sanguinis nempe spissitudo, vel polypus. Neque necesse fore existimo, ut multis hoc demonstretur rationibus, cum ex iis, quae de terrore dicta fuere, facile ad timorem, qui cum terrore multum habet affinitatis, concludi possit.

§. XXVI.

§. XXVI.

Ad quartam itaque generalem mortis subitaneae causam tandem progredimur, morbum nempe praegressum, quo fit, ut in parte quadam ad vitam necessaria labes aliqua oriatur, quae repentinam postea inferre valet mortem. Cum vero ad vitam necessario inprimis requirantur *cerebrum*, *cor* & *pulmones*, ideo tres hasce potissimum considerabimus partes, & quomodo a praegresso morbo eadem disponi ad inferendam subitanam mortem possint, dispiciemus.

§. XXVII.

De *cerebro* igitur per experientiam constat, partem eius in abscessum vel scirrhum a praegresso morbo posse degenerare, quo dein valde aucto, ob compressa principia nervorum, & impeditam liquidi tenuissimi in hos influxum, repentina mors oriri facile potest. Rectius credo me acturum, si exempla id ipsum confirmantia adducam, quam si possibilitatem tantum rei variis speculationibus monstrare annitar. Occurrunt vero rari tales ac satis memorabiles casus in LANCISII Opere supra citato, p. 35. seq. quos, bona Lectoris cum venia, hic paucis repetere lubet. Eques quidam Italus, graviori hemicrania, cum haemorrhoidali fluxu, aliunde afflictus, suppressa hac salutari excretionem in vehementissimum incidit capitis dolorem, a nimia sine dubio sanguinis versus caput congestione & regurgitatione ortum. Haud ita multo post insultus ali-

E

quot

quot apoplecticos experitur a quibus tamen liberatur; cum vero post aliquot annos plane inde restitutus videretur, derepente mortuus fuit. Aperto cadavere causa mortis in cerebro apparuit, ubi dura ac pia mater circa dextram partem ossis frontis ingentem prorsusque insolitam contraxerant crassitiem, & vicina portio substantiae cerebri corticalis in abscessum quandam degeneraverat. Patet ergo inde, quod in praesenti subiecto, a praegressa hemicrania & suppresso sanguinis per ani venas effluxu, orta fuerit stasis humorum in cerebro eiusque membranis, hacque in abscessum degenerante, ob turbatam inde fluidi nervei secretionem, & intercepto eius influxu in nervos, ob prognatum simul tumorem in meningibus, cerebrum comprimentem, tandem subitanam insecutam esse mortem. Alterum exemplum concernit podagricum quendam, ob retrocedentem podagram insultibus epilepticis afflictum, cui, ob irritationem ab acri materia in cerebro factam, maior concitatus fuit humorum versus caput affluxus, unde lymphatica vasa, in pia meninge distensa, hydatidem produxerunt. Aeger itaque ope egregiorum adhibitorum medicamentorum ab epilepticis insultibus, ut videbatur, feliciter liberatus, rupta tandem hydatide, & effuso sero, celerrima tamen morte inopinato postmodum oppressus fuit.

§. XXVIII.

Ipsium quoque *cor* immune non est a labe tali,

tali, quæ subitanæam mortem inferre valet. Novimus, hoc aequè viscus, ac reliquas musculosas corporis partes, ad stagnationem & stasin humorum subeundam, immo ad veram inflammationem dispositum esse. Haec equidem ut plurimum statim lethalis esse solet; si vero non in sphacelum, sed in abscessum degeneret, tunc quidem restitutus & a morte liberatus videbitur aeger, donec, abscessu hoc nimis aucto ac rupto, cor ad motum suum continuandum ineptum reddatur. Et sic praegressus inflammatorius morbus causâ iam sit subitanæe mortis. Eodem modo ex nimia palpitatione cordis, ob inductum inde irregularem humorum per cor & reliquas partes progressum, eorundem stasis concitari potest, cum abscessu vel scirrho subsequente, quo dein magis adaucto citam mortem induci posse mirum sane non est, cum cordis inde sufflaminatus fuerit motus.

§. XXIX.

Idem in *pulmonibus* & *pleura* fieri posse haud difficulter intelligitur, si subiecta peripnevmonia, vel vera pleuritide antea laboraverint. Tunc enim statim inflammatoria non resoluta & discussa, abscessus generari potest, quo ipso tandem disrupto & pure in cavum thoracis effuso, diaphragma premitur, & pulmones ita obruuntur, ut motus respiratorius plane supprimatur. Videtur itaque in talibus subiectis morbus praegressus, febris scilicet inflammatoria, decessisse & evanuisse, sed remanens a mor-

bo labes, si procatartica accesserit caussa, facillime mortem infert subitanam. Talis caussa esse potest, auctior a vehementiore corporis motu respiratio, sternutatio, tussis impetuosior, risus, &c. Exemplum tale ab Excell. b. m. SCHVLZIO exponitur in Dissert. de *Hydrope pectoris saccato*. Miles nempe quidam, ut brevibus casum satis fuse ibi descriptum comprehendam, ob refrigerationem in spirandi incidit angustiam, quae per plures annos, optimis licet adhibitis medicamentis, expugnari non potuit. Tandem cum inter amicorum colloquia, ob iocum aliquem, in cachinnum solveretur, repente mortuus est. Sectio anatomica demonstravit in thorace saccum satis magnum, sero repletum, quo a vehementiori risu disrupto, effusum ferum pulmones inundavit, ac respirationem citissime suppressit. Et haec quidem iam sufficiant, ne plura adducendo exempla limites consuetos nostra excedat dissertatio. DEO igitur T. O. M. pro praestito huc usque auxilio sit

Laus, Honor & Gloria.



NOBI.

NOBILISSIMO ATOVE PRAESTANTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

^{S. P. D.}
PRAESES.

QUbitari equidem omnino posset de eo, an aliqua, ex consideratione caussarum, mortem tam in genere, quam praecipue subitaneam inferentium, in Medicinam redundatura sit utilitas? Ab ipsa enim nativitate, e proprii corporis fabrica & textura, dispositionem ad mortem naturalem obtinuimus, ita ut, etiamsi optimas dietae regulas strictissime observemus, nibilo tamen minus inevitabilis nobis maneat moriendi necessitas, meritoque idcirco, cum nulla demum arte declinari queat humano generi in supplicium data mors, summum Medicorum & Medicinae opprobrium dicatur. Iter utique ad eandem ingredimur, dum de ea nihil cogitamus; prosequimur hoc, dum nos ab ea nimium adhuc remotos esse putamus, & saepe admodum vivimus securi, quando ea cervicibus iam iam imminet. At, licet strictius loquendo quaelibet semper mors sua natura sit repentina & intra temporis aliquod momentum proprie contingat, ipseque saltem transitus ad eandem, modo tardior, modo brevior, aut plus minusve concitatus, occasionem suppeditaverit, distinguendi eandem in longam seu difficilem, & brevem seu subitaneam; facile tamen patet, quod, dum quaedam mortis species praegressis demum doloribus & patibematibus variis ingruunt, sicque praevidentur & praesentiuntur, aliae vero tacite veluti obrepentes tanquam inopinatae nobis offeruntur, Medici idcirco, valetudinis curam maxime gerentis, & tam de conservanda praesente, quam restituenda amissa illa unice solliciti, officium eo simul vergere debeat, ut diversas illarum causas diligenter perquirat, bisque detectis & cognitis tandem iudicet,

dicet, num praevisas necesse aliquo excogitato vel experimentis comprobato remedio avertere, eas vero, quae inopinato nobis adveniunt, ex peculiaribus forsitan signis tempestive cognoscere, convenientique remedio ad minimum quadantenus prorogare queat. Quodsi autem nec praevideri, nec prorogari ulla arte valeant, id tamen obtinebunt Medici, ut plenius artem ipsam illustrent. Pulchrum est enim, notante HIPPOCRATE, Lib. de Art. n. 26. ea quoque addiscere, quae in experimentum assumpta successu caruerunt, & cur successum non habuerunt. Recte igitur omnino TE egisse profiteor, NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, quod eadem hac intentione, incrementum saluberrimae artis medicae quomodocunque promovendi, in subitaneae mortis causas praecipuas sedulo inquisiveris, easque in egregio hoc TVO inaugurali Specimine clarius exponere adrisus fueris, quo ipso insimul quoque temporis quam optime apud nos collocati eximium sistis documentum. Ab eo enim tempore, quo primo TE Spectavi, animum discendi cupiditate insigni flagrantem iam perspexi, quumque postmodum inquilinum TE habuerim, maiori adhuc cum voluptate animadverti, summa semper cum industria eo in itinere, quod TIBI volebas a me expediri, progressum TE fuisse, indeque iam habere mihi visus sum, unde bene TIBI, bene conatibus TVIS academicis ominaver. Gratulor idcirco TIBI laeto pectore feliciter emensum studiorum haud vulgarium curriculum, summosque quos promeriti in locum praemii nunc obtinebis, honores. Faxit Deus, ut patriam salvus & incolumis contingas, fructusque indefessae diligentiae, quam acquirendae exactiori artis salutaris cognitioni impendisti, plurimo TVORVM gaudio & proprio TVO emolumento colligas. De me vero illud persuasum habeas, me semper rerum ex voto TIBI succedentium laetum esse futurum spectatorem. Vale. Dab. in Regia Fridericiana, d. III. Dec. A.S.R. MDCCL.

Sic ipsa virtus est pretium sibi,
Et rite iunctis parra scientiis
Splendore nativo coruscar
Nobilitas placet atque coelo.
Ipsi dicatus nubila dissipat
Quae vulgum obumbrant, per liquidum aethera
Fertur triumphans, reque, Virtus!
Carminibus celebrat sonoris.
Hinc Diva semper septa cohortibus
Adstat beatis & sapientia
Ut dedicatos his, in aris
Non abolere sinant, honores.
Felix, sub isto qui moderamine
Nunquam tremiscit rebus in arduis
Cum quemlibet spectes labore
Praemia digna suo referre.
Ecquid fateri, sumere quid vetat
Pro teste, Amici nomen amabile?
Plaudentibus qui circum amicis
Fulget honore novo capillis.
TE sic Amicum me pietas iubet,
Ausisque functum nobilioribus
Honore digno & denotatum
Ter gemino celebrare plausu.
O ter beatum! **TE** decorat **TVA**
Pressoque Virtus **TE** sequitur pede:
Ut cuncta successu secundo
Perpetuo fluitent, precamur.

MARCUS CHRISTOPHORVS BESSERER
DE THALFINGEN.

Quid

Quid maius pietas, AMICE! nostra,
Luce hac celebri rogare possit?
Quid magis meminisse Musa plectro
Dignum & carminibus referre possit?
Quid maius meliusve mater ipsa
Gnato provida nunc precetur uni?
Cum TE, delictum decusque nostrum!
Quem candor niveus mihi fidesque
Sanxit simplicitasque, quem Camenae
Et dulces Gratiae fovent amantque.
Cum TE, quem decorant novi iam honores,
Quem circum viridis superbit aëte
Laurus, muneribus quibus Camenae
TE, doctumque caput TVVM coronant.
Tantis muneribusque tot beatum,
Cum TE conspiciamus, quid maius canamus?
Quam TE carminibus meis celebrem:
Plausu ter gemino novumque honorem
Extollam. TIBI quid magis precemur?
Quam TE, nunc titulo novo politum,
Sacris deditum & artibus medendi,
Virtus perpetuo sequatur ipsa!
Fama & meritis TVIS sit aequa!
Et semper videas dies serenos!
O lucem mihi ter quaterque faustam!
Qua mox rursus AMICE! TE videbo.
Vivas molliter, immemosque nostri,
O qui prime sodalium meorum!

ALBERTVS DANIEL KRAFFT
DE DELLMENSINGEN.

Carmi.

CArmina nostra dies hic festus poscit AMICIS!
Signaque laetitiae, signaque amicitiae.
Salve terque quaterque beata dies! mihi semper
Inter felices enumeranda dies!
Quae nostro roseo vultu subridet AMICO,
Temporaque Illius cingit honore novo.
Salve etiam paucos inter dilecte sodales!
Qui nunc pro meritis praemia iusta refert.
Quid mihi, cum faustum, cum TE tot cerno beatum
Muneribus, superest? Nil nisi vota valent.
Vota valent superantque Deum. Felix age! crescat
Gloria successu Nominis usque TVI!

ALBERTVS LVDOVICVS
L. BARO DE WELSER.

IVra sodalitiū, Virtus TVA, quaeque precari
Omina fausta sibi, dulcis AMICE, iubent.
Omina fausta precor! venturi praesaga pandit
Mens, TE mente TVA volvere magna faris.
Quae TVA promeruit non incluta praemia virtus
Nobilis atque labor, laetus AMICE! capis.
Laetus AMICE capis! Numen nunc annuit istis
Nisibus, en votis annuit atque meis.
Iungo meos socios hinc plausibus ipse, sodalis!
Proque salute TVA maxima vota fero.
Semper plena meis TVA vivat imago medullis,
Vtque diu valeam TV prior ipse vale!

MARCVS THEODOSIVS
L. BARO DE WELSER.

F

Freund!

Freund! Dessen redlich Herz, wie Dein gelehrtes
Wissen,

Mich, Deinen Freund, an Dir ergötzt:

Der auch mich fern von Ihm und Seiner Brust entriß,
Noch zärtlich liebt und zärtlich schätzt.

O möchte mir doch igt ein würdig Lied gelingen!

Stolz auf Dein Glück, o Freund! und Dich,
Wollt ich den liebsten Freund, Dich Freundschaft! igt be-
singen;

Du, ia Du sängest selbst durch mich.

Das, was man längst verehrt, ia längst an Dir erhoben,
Und es mit Rechte von Dir preist,

Den Weisheitsvollen Geist, der durch bewährte Proben,
Dich uns stets schön und grösser weist;

Dies wollt ich auch von Dir in meinem Liede preisen,

Die Wahrheit selbst heischt diese Pflicht:

Doch Freund! Du forderst nicht. Dies fordern nie die
Weisen.

Und als Dein Freund lob ich Dich nicht.

Die Würde, die Dich schmückt, und dieses Tages Ehre,

Wozu Dein Gleis Dich längst erhob,

Sind, wenn zu Deinem Ruhm auch niemand sinnreich wäre,
Dir stets ein überzeugend Lob.

Ich seh Dich igt, o Freund! im Geist und ganz entzücket,

Mit Lorbeern feyerlich geziert:

Und segne diesen Tag der Dich so schön beglücket;

Und mich, wie Dich, so stark gerührt.

Du

Du kennst des Arztes Pflicht, die richtigen Geschäfte,
Die Dir die Würde zuerkannt.
Gewiß in Deiner Kunst, stark durch des Himmels Kräfte,
Weicht Schmerz und Krankheit Deiner Hand.
Dich Freundschaft bitt ich noch. Ich weiß Du wirst mich
hören,
Denn Dich rührt selbst Dein Wohlergehn.
Fahr fort, wenn Du uns liebst, des Freundes Glück zu mehren,
Und laß mich froh Ihn wieder sehn!

Leipzig, den 2. Dec. 1750.

Johann Ulrich Lipp,
aus Ulm,
der H. G. G. Befliffener.

Die Frucht erfolgt erst nach unverdrohnen Fleiß;
Wie? wenn des Gärtners Hand ein edles zartes Keiß
Durch vieler Jahre Frist beschnitet und verpfleget,
Als denn die Frucht erhält, die es dereinst erst trägt.
So ist es ebenfals in der gelehrten Welt
Mit Kunst und Wissenschaft und deren Lohn bestellt:
Denn wer dort sammeln will, muß erstlich hier austreun,
Mit unverdrohnen Muth stets an der Arbeit seyn.
Dies führet, geehrter Freund! mich heut auf Dich zurücke:
Mit was vor ächten Fleiß zogst Du die muntern Blicke
Auf das, was die Natur in ihren Reichen hegt?
Du untersuchtest stets wie es zu wirken pflegt.
Nun wird auch noch von Dir der klugen Welt gezeigt,
Wie sehr ein muntre Geist in dem Erforschen steigt.

Was

Was Wunder! daß Dich nun Apollo selber schmückt
Und Dich mit süßer Frucht der Wissenschaft beglückt.
Ja, Dir die Würde giebt, womit die wahre Tugend,
Des Alters Ehren-Cranz belohnt den Fleiß der Jugend.
Wohlan! so zeige denn, wie dem sein Wohlseyn blüht,
Der sich mit Wissenschaft der Tugend nicht entzieht.
Blüh, wachse, sey vergnügt, der Himmel schütze Dich,
Damit der Meider Schwarm vor Gram verzehre sich;
Und solte denn Dein Glück nicht höher steigen können,
So höre doch nicht auf mich Deinen Freund zu nennen.

Mit diesen Zeilen wolte seine Schuldig-
keit beobachten, und sich zum geneig-
ten Andenken bestens empfehlen

C. F. E. OSWALD, Erford.

Med. Cand. Opponens.







00 4 64.68 (1)

ULB Halle


002 928 051



3

12






DIE ERSTE
PASTOR
VON

00
A
6468





B.I.G.

Farbkarte #13

ORATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PRAECIPVIS
CAUSIS SVBITANEAЕ
CAVSSIS

QVAM
AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS
ET
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

GEORGIA ELIA BÜCHNERO

ROMANI IMPERII NOBILI,
PRVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS,
PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

GRADV DOCTORIS
MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
ACADEMICALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
V. DECEMBR. A. S. R. cl^olccc^ol.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR RESPONSVRVS
MICHAELICVS ALBERTVS RAV,
VLMA-SVEVVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
S. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

